

intelligitur, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. Sac. congregat. Conc. sub die 21 Martii 1602. (39. Matrimonium coram parochio et testibus contractum hac conditione, si mulier est legitima, subsecuta copula, non est validum, si postea constituerit mulierem esse illegitimam. Sac. congr. Conc. de anno 1620, apud Sellium in *Selectis canonicis*, cap. 22, n. 17, et Barbosa in *Summa Apostolicar. decis.*, verb. *Matrimonium*, num. 21.

(40. Matrimonium contractum sub conditione apposita per virum: « Si id salvo honore meo fieri potest, et si fratribus meis placuerit »: si non expectato conditionis eventu, subsecuta fuerit copula cum maritali affectu, est validum; quia revera gratia non confertur sub conditione, sed completa voluntate actus. Sac. congr. Conc. sub die 23 Aug. 1622.

(41. Matrimonium contractum, et consummatum mediante Apostolica dispensatione ex causa indotationis mulieris, si detegatur falsa eadem causa, et appareat de congrua dote, adhuc sustinetur. Sac. congr. Conc. in *Praten. matrimonii* 4 Jul. 1712, et in *Neapolitana matrimonii* eodem die, et anno.

(42. Qui obtinuit dispensationem super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falsa narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima, ut respondit Sac. congr. Conc. 9 Septemb. 1679, l. 3, *Decret.*, fol. 406.

(43. Si dispensatio matrimonialis repariatur concessa inter consanguineos *ob angustiam loci*, erit exsequenda, etiamsi testes deponant, homines loci esse omnes pares. Sac. congregat. Episcop. in *Alben.* 13 Februar. 1596, et sac. congreg. Conc. in *Bisacciarum* 19 Junii 1706, apud Monacell., p. 1, tit. 16, formul. 2, num. 33.

(44. Qui obtinuit litteras dispensationes super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non presentatis, contraxit, vel carnaliter sponsam cognovit, hic absque nova dispensatione in matrimonio permanere non potest. Sac. congreg. Conc. die... Maii 1635, apud Monacell., *loc. cit.*, n. 30.

(45. Qui delictum polygamiae commisit, et poenitentiam, seu poenam triremium jam explevit, hic non potest absque dispensatione Apostolica cum secunda denuo matrimonium contrahere, quamvis prima legitima uxor decesserit, quia obstat ei impedimentum criminis. Sac. congreg. Conc. in *Sancti Sever.* 18 Jul. 1704.

(46. Non confirmatus non contrahit impedimentum ad effectum contrahendi cum suscepto in sacramento confirmationis. Sac. congr. Conc. in *Lycien.* 13 Jun. 1654, apud Monacell., l. c., n. 30.

(47. Qui sponsalia contraxit cum muliere inhonesta, non potest a consanguineis impediri ne matrimonium contrahat. S. congr. Episc. et Reg. in *Recanaten.* 25 Jun. 1619.

(48. Matrimonium inaequale non potest impediri a matre sponsae. Sac. congr. Conc.

in *Neapolitana* 25 Januarii, et 8 Martii 1722.

(49. Matrimonium simulate contractum ad effugiendum aliquod periculum, nullum est. Sac. congr. Conc. in *Mutinen. matrimonii* 9 Jun. 1723, ubi de matrimonio contracto a muliere musicae artis peritissima cum persona conscia de simulatione ad hoc, ut posset dimitti a carceribus ubi detinebatur, ne matrimonium contraheret cum nobili juvene ejus amore capto.

(50. Matrimonium absque triennali cohabitatione dissolvendum est, quando clare constat de impotentia unius. Sac. congr. Conc. in *Seguntina* 12 Septemb. 1609, apud Pignat. tom. 1, consult. 147, n. 21 et 23.

(51. Matrimonium contractum cum impedimento dirimente a muliere animam agente, ne moreretur infamata, nullum declaratum fuit a sac. congr. Conc., in *Coventina matrimonii* 18 Novemb. 1683, l. xxxiv *Decr.*, fol. 393.

(52. Matrimonium ratum ex justa causa dissolvi potest a Summo Pontifice, dissentiente etiam uno ex conjugibus. Sac. congr. Conc., die 20 Maii 1719, et 28 Januar. 1720, et in *Tirasonen. matrimonii* 2 Octob. 1723.

(53. Matrimonium contractum cum conditione, quod mulier haberet tantam dotem, detecta istius insufficientia, adhuc validum reputatum fuit a sac. congr. Conc. in *Romana matrimonii* 23 Januar. 1666.

(54. Matrimonia contrahi possunt a subditis etiam sine consensu dominorum, non obstante contraria consuetudine, sac. congr. Conc. in *Pragen. matrimonii* 19 Mart. et 24 Aug. 1669, lib. xxvi *Decr.*, fol. 183 et 283.

(55. Matrimonia, ne contrahantur post occasum solis, neque per procuratorem, statuere nequeunt episcopi. Sac. congr. Conc. in *Neapolitana* 18 Aug. 1663, lib. xxiii, *Decr.*, fol. 276, apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano*, verb. *Matrimonium*, n. 124.

(56. Matrimonium valide et licite contrahi potest cum pacto continentiae sine intentione prolis, et remedii concupiscentiae, quia id non pugnat cum essentia matrimonii, cum sic conjuges tradant sibi adhuc mutua potestatem radicalem, et quoad actum primum, et excludant generationem prolis solum negative, ut patet exemplo B. M. V. et S. Joseph. Busebaum., lib. iii, tract. 6, c. 2, dub. 1; La Croix, *ibid.*; Perez, *De matrum.*, disp. 13, sect. 8; Dicastill., dist. 5, nu. 12; Paludan. Vasquez, Coninck, Pontius, Hurtado, et alii apud ipsum contra Sanchez, Sotum, Henriquez, et alios; matrimonium tamen initum sub ea conditione, quod mulier deberet professionem emittere, et renuntiare cuicunque juri sibi competenti in vim matrimonii, declaratum fuit invalidum a sac. congr. C. in *Ulixbonen. Occidental.* 8 Jul. 1724, apud *Thesaurum resolutionum sac. congreg. Concilii* tom. III, quae *Resolutiones* prostant Romae, apud Barbiellini ad *Minervam*.

(57. Ordinarius non potest prohibere quin matrimonia domi celebrentur, servata concilii forma, sed, cum maxime deceat ut in ecclesia celebrentur, id hortari debet, non praecipere. Sic decisum fuisse a sacra congregatione Concilii referunt Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 22, nu. 18; Gavant., *Manual. episcop.*, verb. *Matrimonii celebratio*, n. 20; Ursaya, *Miscellan. sacr. et profan.*, 1, verb. *Matrimonium*, n. 125; Franciscus Leo in *Thesouro fori ecclesiastici*, part. II, c. 8, n. 48; Basilius Pontius, *De impedim. matrimonii*, cap. 26, § 3, vers. 3; Rebell., *De obligatione justitiae*, part. II, lib. II, quaest. 7, num. 11; Marcell. Vulpe in *Praxi judicii fori ecclesiastici*, cap. 15, num. 15; Sanchez, lib. III, disp. 15, n. 20; Diana, *Moral. resolut.*, part. III, tract. 4, resolut. 279; Reginald. in *Praxi fori penitent.*, lib. xxxi, num. 242.

(58. Matrimonium enim licite celebrari potest extra ecclesiam, quia ad hoc, ut dicatur celebrari in facie Ecclesiae, non est opus, ut in ipsa materiali ecclesia, vel in ejusdem limine celebretur, sed sufficit, ut servatis ritibus Ecclesiae, fiat coram aliqua fidelium multitudine, quae, tanquam quaedam catholicorum congregatio, censeri potest Ecclesia, juxta textum in c. *Ecclesia* 6, dist. 1, *De consecr.*, ibi: « Ecclesia, id est Catholicorum collectio, » et cap. *Relatum* 12, *De testamentis*, ibi: « Nomine autem Ecclesiae... » Communis congregatio intelligitur Glossa, verb. *Præfatum Ecclesiam* in cap. final. *Ne praelati vices suas*; Barbosa, l. c. n. 17, et alii passim.

(59. Benedictiones conjugales non possunt nisi inter missarum solemnias fieri. Sac. congregat. Concil. in *Pisaurensi* 13 Julii 1630. (60. Et parochus proprius debet accipere eleemosynam ratione benedictionis, et non alius. Sac. Congr. Rituum in *Acheruntina* 25 Januarii 1602.

(61. Alia vide verb. ADULTERIUM, BENEDICTIO, art. 4; DENUNTIATIONES MATRIMONII, DIVORTIUM, IMPEDIMENTA MATRIMONII, PAROCHUS, SPONSALIA.

(62. Quoad validitatem et invaliditatem matrimoniorum attendenda est omnino novissima constitutio Summi Pontificis Benedicti XIV, incip. *Dei miseratione*, in qua praescribit ordinem, et formam observandam in judiciis causarum matrimonialium super validitate matrimoniorum, et mandat, in omni diocesi ab ordinario loci eligendum esse idoneum virum, si fieri possit, ecclesiasticum *matrimoniorum defensorem* vocandum, qui ad omnem actum judiciale citari debet, et intervenire, et voce, et scriptis validitatem matrimonii defendere, et appellare a prima sententia, si ista declaraverit invalidum matrimonium. Imo potest appellare etiam a secunda conformi priori, si ipsi defensori videatur manifeste injusta, et etiam a tertia, si esset revocatoria alicujus alterius praecedentis in favorem validitatis matrimonii protatae.

(63. Quoad matrimonia attendenda est etiam aliam novissimam dispositionem Bene-

dicti XIV, in constitutione incip. *Satis vobis*, in qua refert plurima mala, quae in dies oriuntur a matrimoniis occultis, aut conscientiae. Inde mandat episcopis, ut non de facili dispensent super denuntiationibus, et dispensando super istis, ut non permittant matrimonium ita celebrari coram parochio, aut altero delegato sacerdote, et testibus confidentibus ipsis contrahentibus, ita ut celebratio matrimonii possit remanere secreta, et occulta. Interveniente tamen justa et urgente causa, permittit etiam ipsa matrimonia secreta, quibus debet assistere parochus alicujus ex contrahentibus, aut, attentis circumstantiis, alter sacerdos ab episcopo delegatus. Qui ex eis assistet, consignare debet episcopo scriptum documentum celebrationis dicti matrimonii, loci, temporis et testium, quod ab episcopo fiet transcribi in libro particulari, et distincto continente sola matrimonia secreta, qui liber clausus et sigillatus erit custodiendus in cancellaria episcopali. Si nascatur proles ex talibus matrimoniis, baptizabitur in respectiva ecclesia, notabiturque in libro baptizatorum sine nomine genitorum, et tenebuntur isti immedie, vel mediate intra terminum triginta dierum dictam prolem notificare episcopo, exprimens locum, tempus, aliasque circumstantias collati baptismi. Quod totum cum nomine genitorum debet transcribi in alio libro eisdem cautelis in cancellaria episcopali custodiendo. Quod si intra dictum terminum non fuerit, ut supra, notificatum, tenebitur episcopus reddere notum dictum matrimonium secretum, a quo certo sciat ortam esse dictam prolem. Et hujus sic contrahentium obligationis, aliarumque praescriptarum rerum erunt serio monendi a sacerdote, antequam tali eorum matrimonio assistat.

ADDITIONES CASINENSES

Non abs re putamus citat. hic constitutionem Benedicti XIV per extensum referre, estque tenoris sequentis:

« Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis,

BENEDICTUS PAPA XIV.

« Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

« Satis vobis compertum esse non dubitamus, venerabiles fratres, eam semper fuisse pie matris Ecclesiae vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, magnum ab Apostolo nuncupatum, publice et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat in posterum observaretur, sancta Tridentina synodus, Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochio, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter missarum solemnias, publice denuntietur, deindeque, nullo legitimo

concurrente impedimento, ad illius celebrationem in faciem Ecclesiae coram parochio, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta synodus apud parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum, et testium nomina, diesque, et locus matrimonii describantur.

« § 1. Providae tamen hujusmodi leges tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur et in tenebris ignorantiae perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denuntiationibus, coram solo parochio, vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi saepe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen oclis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis praesentia, scientia iniri matrimonii, praeter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

« § 2. Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum praescripto, occulta haec matrimonia, conscientiae vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini iudicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excecant, ut novum contrahere secreto matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum et nondum prioris conjugis morte solum, seque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in hujus magni sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda in his matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quaecumque matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una*; sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat et utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit et ab omnibus ignoratur.

« § 3. Leviora quoque damna non sunt, quae

susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit illam a parentibus et a matre praesertim amotam, nec pie nec liberaliter institui, sed incertis fortunae casibus objectam relinqui; nisi etiam parentes ipsi, contra naturae leges ausu nefario illius vitae insidiantur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum jactura: pro quorum possessione assequenda, quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta parentum matrimonia et ademptam legitimitatis et filiationis probationem.

« § 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibi que de mammona iniquitatis oculos miserime comparaverint.

« § 5. Deslenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, quum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas; temperare non possumus, quin vos ipsos, venerabiles fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliore ad remittendum publicationes a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re episcopos versari, non obscura vobis a concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem parochio et duobus testibus praesentibus, matrimonium celebretur et deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arcis prudentiae discretique arbitrii legibus, quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere.

« § 6. Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne post remissas denuntiationes, celebretur matrimonium coram parochio, vel alio sacerdote ab ipso parochio, vel a vobis deputato, praesentibus duobus, vel tribus testibus con-

fidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur. A sacro nostrae Penitentiariae tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et femina in figura matrimonii publice degentes et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinato perseverent; facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset eos, a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denuntiationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casu solum congruat, quum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat: sed quia, vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis morore recensuimus.

« § 7. Hunc porro in scopum vos hortamur et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio: an scilicet ejus qualitates, gradus et conditionis sint, quae id probe exposcant; an sint sui, vel alieni juris; an filiisfamilias, quorum nuptiae patri juste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praebere filio inobedientiae occasionem; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum relictio in statu uxurato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara et indubia et a quamvis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad averendum ab iis, qui improbi sunt ingenii, polygamiae periculum.

« § 8. Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quatenus vobis occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate et doctrina et obeundi muneris perita commendetur.

« § 9. Uni tamen, aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando, distincte praecipiat, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro; ac Christo iudici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis reli-

ctis, vel provida legum auctoritate delatis. « § 10. Celebrato autem matrimonio, indilate a parochio, vel alio sacerdote coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere quod, ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantum casu resignari et aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes quod, re absoluta, denuo claudatur et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestaciones clam celebrati matrimonii, a parochio, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exaranda, vobisque exhibenda, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ab verbum, a persona a vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestaciones ipsae in secretiori loco sartae tectaque a vobis serventur.

« § 11. Quod, si ex occulto hujusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia, ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticere; volumus ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuntietur; dictaque denuntiatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum characterem exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certe et clare vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum, baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia quum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis, in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

« § 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere

negligent, debita pœnarum districtione pro modo culpæ a vobis puniantur. Quinimo cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari; mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari et nota fieri, si certo vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla præstita vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

« § 13. Ne autem contumaces, et inobedientes violatæ fidei, proditique secreti pastores suos insimulent; sedulo a vobis curandum est, ut a parochio, vel alio sacerdote, pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputando, conjuges clare et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptisate, sed post baptismam denuntiatur episcopo, cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est; alioquin matrimonium, licet contractum, data per episcopum secreti fide, in lucem profertur in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

« § 14. Volumus denique ac mandamus, fides, seu attestations matrimonii clam initi, et soboles ex eo procreatæ, excerptas ex dictis libris, modo quo dictum est, apud vos caute custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis, et matrimonii vindicare consueverunt.

« § 15. Hæc a vobis, venerabiles fratres, in hac temporum calamitate observari enixe præcipimus, ad communem animarum salutem, et ad præsidium ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam, nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum, nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale officium emulata obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, et benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem impertimur.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die 17 Novembris 1741, pontificatus nostri anno II. »

(64. Alia quamplura huc revocabilia, vel ad hujusce magni sacramenti pleniorum captum exoptabilia, suis in respectivis alphabetice locis reperiuntur, et præsertim in verbo IMPEDIMENTA MATRIMONII, ubi etiam fusi quædam hic breviter attackta.

(65. Additur hic attendenda resolutio sequentis dubii.

DUBIUM MATRIMONII

« Sequens casus sac. Penitentiarie propositus,

fuit ab ea ad hanc sacram congregationem pro decisione remissus.

« Fulanus et Bertha matrimonium inter se contracturi, statum suum liberum probaverunt apud acta curiæ episcopalis, instantes subinde, juberi parochio, ut ad trinam denuntiationem procederet. Interrogati autem a notario, quisnam esset eorum parochus? responderunt (per errorem tamen, et citra contemptum clavium) esse parochum S. Demetrii, in cujus parochia jampridem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. Peractis itaque a parochio S. Demetrii, juxta sibi traditam facultatem, denuntiationibus, nulloque impedimento detecto, ordinarius impertitus est solitam licentiam per dictum notarium extensam sub hac verborum formula :

« Concediamo licenza al parroco di S. « Demetrio di poter assistere al matrimonio « tra Folano e Berta, ambedue della sua « parrocchia. »

« Celebratum proinde fuit coram dicto parochio et testibus matrimonium : sed post aliquod tempus Fulanus librum moralem casu legens, invenit communem esse sententiam, quod ad matrimonii validitatem requiritur præsentia parochi, saltem unius ex contrahentibus, unde consultis pluribus confessariis, quid sibi agendum esset, suavis fuit, ut una simul cum Bertha consensum renovaret coram proprio parochio et testibus. At Fulanus, explorata Berthæ voluntate, an casu, quo non esset ipsius conjux, vellet sibi matrimonialiter copulari, responsum habuit absolute negativum. Nihilominus, habita nuper notitia, quod inter declarationes desumptas ex Bibliotheca rec. me. card. Bellarmini, et typis impressas, ad caput primum sess. xxiv, *De reformat. matrimonii*, exstat infra scripta : « Item licet non pro- « prius parochus, sed alius de consensu episcopi intersit, matrimonium tenet, etiam si « episcopus credat, fuisse vocatum proprium « parochum : » spem aliquam validitatis matrimonii concepit, sed ad omnem dubietatem removendam suppliciter instat declarari :

« An præfatum matrimonium inter ipsum, et Bertham contractum, fuerit validum ?

« Sac. congr. Concilii rescripsit, *Affirmative*. »

Sic refert laudatus sapientissimus cardinal. Lambertinus, tom. II, notific. 88.

NOVÆ ADDITIONES EX AUCTORE.

(66. Matrimonia a Græcis contracta post susceptos ordines sacros, nulla et irrita declarantur. Bened. XIV, tom. I, constitut. incip. *Etsi pastoralis*, § 7. (67. Matrimonium contrahi nequit a diacono Orientalis Ecclesiæ, qui ordinatus fuerit in statu cœlibi; idem const. 129, incip. *Eo quavis tempore*, § 36. (68. Matrimonium inter contingentes se quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, Græcis prohibetur : Idem cit. constitut. *Etsi pastoralis*, § 45. (69. Matrimonia infantium prohibentur, Idem const. 107, in-

cip. *Omnium sollicitudinem* § 3 et 14. (70. Matrimonia a Catholicis cum hæreticis contracta detestantur. Idem constitut. 34, incip. *Matrimonia*, § 3. (71. Matrimonia contrahi a fidelibus cum neophytis ad fidem conversis in loco pio catechumenorum Venetiis, absque interpellatione prioris conjugis in infidelitate relictis, permittitur arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis commorantis; idem const. 117, incip. *In suprema*. (72. Idque matrimonium per adventum prioris conjugis non rescindendum esse decernitur. Idem *ibid.*

(73. Matrimonio jungendi non sunt, qui in doctrina Christiana satis instructi non reperiuntur; idem constitut. 42, incip. *Etsi minime*, § 11. Secundæ, tertiæ, et ultiores nuptiæ damnari nequeunt. (74. Idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 11, et constitut. 129, incip. *Eo quavis tempore*, § 29.

(75. Matrimonii celebrandi forma a concilio Tridentino statuta observari jubetur. Idem constitut. 75, incip. *Nimia*, § 8. (76. Decretum concilii Tridentini, *De reformatione matrimonii* Italo-Græcis rite publicari præcipitur. Idem constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 8.

(77. Matrimonia inter subditos principum catholicorum in provinciis fœderati Belgii, et vice versa, celebranda sunt juxta probatas in similibus casibus alias editas a sacra congregatione Concilii resolutiones, ex quibus ubi disputatio contingat, decidatur. Idem constitut. 34, incip. *Matrimonia*, § 5. (78. Matrimonia in Hollandia, et fœderato Belgio inter incolas contracta, non servata forma concilii Tridentini, valida declarantur. Idem, *ibid.* § 2 et 3. (79. Item inter personas addietas præsidius locorum *di Barriera*. Idem, *ibid.*, § 4. (80. Et inter incolas civitatis Mosæ Trajectensis. Idem, *ibidem*.

(81. Matrimonia in Servia, et finitimis regionibus ad præscriptum concilii Tridentini sunt celebranda, abrogatis clandestinis, aut coram solo iudice contractis. (82. Idem constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 9. Nec renovari possunt coram *Caddi*, nequidem per procuratorem, nisi ritus hujusmodi renovationis sint mere civiles. Idem, *ib.*, § 10.

(83. Matrimonia inter fideles Malabares contrahenda sunt in congrua ætate, et juxta formam a concilio Tridentino præscriptam. Idem constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinem*, § 3. (84. Intellige in locis in quibus decretum conciliare publicatum fuerit, et quod hujusmodi publicatio fieri debeat. *Ib.*, § 14.

(85. Matrimonium inter maritum Latinum, et Græcam mulierem, Latine coram parochio Latino contrahi debet; inter maritum vero Græcum, et mulierem Latinam, potest contrahi, vel Græce coram parochio Græco duobus, vel tribus testibus præsentibus, vel Latine coram Latino ubiqueque maritus Græcus voluerit. (86. Ejus autem loci, ac ritus parochus debet assistere, ubi, et quo ritu matrimonium contrahitur. Idem, con-

stitut. 17, incipien. *Etsi pastoralis*, § 8. (87. Matrimonia occulta, non nisi gravissima de causa, permitti debent, qua concurrente, celebrari nequeunt absque probatione status liberi. Idem constitut. 35, incipiente *Satis vobis*, in qua multa statuuntur ad rem. *Vide supra*, n. 63, ubi summarie affertur ejus dispositio.

(88. Matrimonium subsequens legitimat prolem ante genitam : non tamen, ex adulterio. (89. Idem, constitut. 113, incip. *Reddita*, § 2. Idque non virtute sacramenti, sed ex dispositione legis ecclesiasticæ. Idem, *ib.*, § 39.

(90. Matrimonium jure naturali; divino, et canonico indissolubile, non est temere dirimendum. Idem, const. 15, incip. *Matrimonii*, et const. 33, incip. *Dei miseratione*, § 2. (91. Divortia quoad vinculum inter fideles non admittuntur. Idem constit. 57 incip. *Etsi pastoralis*, § 8. (92. Matrimonium non dissolvitur per uxoris fugam, et nuptias ab ea cum infideli contractas. Idem, constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 12.

(93. Matrimonialium causarum judicia coram quibus et quo ordine ac forma peragenda sint statuit idem Pontifex const. 33, incip. *Dei miseratione*, ejus dispositio allata fuit summarie, n. 62, et ad verb. *DEFENSOR*. (94. Unica sententia prolata, nemini licet ad alia vota transire. Idem cit. constit. *Dei miseratione*, § 14. (95. Appellatio a sententia lata super nullitate Matrimonii in quacunque distantia, semper suspendit executionem. Idem, *ib.*, § 11.

(96. Appellatio in causis matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. Idem const. 85, incip. *Nimia*, § 4 et 7. *Vide tom. I, ad verb. APPELLATIO*. (97. Sententia super nullitate matrimonii nunquam transit in rem judicatam; sed ex noviter detectis quodcumque revideri potest. Idem constit. 33, incip. *Dei miseratione*, § 11.

(98. Ad validitatem contractus matrimonii rationi usus requiritur de jure naturali et divino. Idem, tom. II, constitut. incip. *Magnæ nobis*. (99. Potentia actualis ad copulam requiritur de jure positivo canonico, super quo solus Pontifex dispensare potest. Idem, *ib.* (100. Quando autem malitia suppleat ætatem, idque ecclesiastico iudici, etiam ordinario comprobatum est, canones permittunt matrimonium contrahi. Idem, *ib.*

(101. Dispensatio super ætate cum iis, qui copulæ nondum idonei sunt, sed tamen rationis usum habent a Sede Apostolica private concedi potest. (102. Quando autem malitia supplet ætatem, ex legum et canonum dispositione licitum est matrimonium contrahere, super hoc vero, an malitia suppleat ætatem, tam a iudice ordinario, quam ab Apostolica Sede pronuntiari potest et consequenter facultas ad contrahendum concedi; tamen pro majori actus solemnitate et ne de validitate contractus matrimonii propter minorem ætatem hæsitari contingat, Apostolicæ dispensationis litte-